

vatione ut in termino, et alius inde exit ad effectum.

CDV. Concedimus ergo, quod elevatio est in instrumento, et concursus simultaneus tendit ad effectum; non tamen iste est duplex concursus, sed duplex effectus ejusdem concursus, qui non simpliciter tendit ad effectum, sed subordinando sibi instrumentum, et trahendo ut sit principium simul illius productionis, et ita actio elevans et producens ex parte Dei eadem est, licet habeat duplicem effectum; in instrumento, elevationis passivæ; in effectum, productionis extra causas. Et ita elevatio passiva et concursus simultaneus, ut identificatur cum effectum, entitative distinguitur, cum sint in diversis subjectis; concursus tamen simultaneus active, et elevatio ipsa active, non distinguuntur, sed attingendo instrumentum, et reddendo illud virtuosum per modum motionis, attingit etiam effectum; sicut artifex applicando seram, artificiose facit cathedram; et musicus tangendo chordas, artificiose efficit musicam, quia illa actio habet tendere ad effectum, non simpliciter, sed movendo instrumentum, et subordinando illud; et ita duplicem effectum habet consequenter, in instrumento passivam elevationem, quæ non est effectus completus, sed intentionalis, et per modum motionis; et extra instrumentum simultanee concurrente cum productione exeunte ab instrumento ad effectum. Neque est inconveniens, quod attingendo instrumentum, identificatur cum productione, quæ ab illo exit, si quidem ab eo originatur, ut sic transeat ad effectum; non tamen sic debet fieri in auxilio, quod datur causis principalibus, quia agens superius non intendit eas applicare per modum instrumenti, movendo ut agant, sed intendit formam earum actuare et

perficere, et deinde ad operationem concurrere. Unde oportet, quod alia entitate forma actuatur; alia operatio ipsa simultanee exeat.

CDVI. Et ex his patet ad confirmationes. Ad primam dicitur, quod illa motio est concursus actualis, non tamen simpliciter tendens ad effectum, sed cum motu et elevatione, ac subordinatione instrumenti; et ideo non oportet aliud auxilium entitative distinctum adhibere, ut reducatur instrumentum de potentia ad actum. Nec ista motio habet solum esse simplex productio, sed elevativa, et productiva simul; elevata respectu instrumenti, productiva simul cum actione instrumenti concurrente.

CDVII. Ad secundam confirmationem negatur antecedens. Ad probationem dicimus, quod hic concursus actualis non solum identificatur cum effectum, sed etiam cum instrumento, quatenus est elevativus ejus, quia licet sit unus entitative, virtualiter est multiplex; et ita habet duplicem terminum, unum per modum motionis in instrumento, alium per modum effectus extra instrumentum. Neque est inconveniens, quod una actio virtualiter multiplex cum pluribus effectibus identificetur, ut patet in sole producente tot effectus in his inferioribus, et eodem igne producente plures calefactiones. Sic non est inconveniens, quod idem concursus et productivus sit et elevativus, habeatque per modum motionis dare virtutem creatam in instrumento, et concurrere simultanee cum productione effectus. In quantum elevativus, identificatur hic concursus cum instrumento; in quantum productivus, cum actione exeunte ab instrumento, et cum effectum.

CDVIII. Quod si illa actio ab instrumento non exiret, difficilius appareret, quomodo eadem actio quæ

elevat, identificaretur tamquam concursus simultaneus cum effectum; exeundo autem ab instrumento, cum illo identificatur, et cum effectum ut exeunte ab illo, in quo etiam elevationem posuerat, sicut eadem actione producitur essentia, et propria passio, et tamen passionem dimanant ab essentia.

CDIX. Ad tertiam confirmationem respondetur, verum esse, quod præter virtutem Dei, et motionem ipsam in actu secundo, non datur alia motio media constituens in actu primo instrumentum, cum instrumentum non sit forma actuanda, ut procedat in actum, et quæ tali motione actuativa indigeat; et sic cum per modum motionis constituatur in actu primo, illa motio quæ est productio, non simplex, sed elevativa, utrumque habet facere, scilicet elevare instrumentum, et in actu primo constituere per elevationem, et producere effectum simul cum instrumento elevato. Et quando dicitur, quod motio ista non est virtus ad agendum, sed actio Dei identificata cum effectum, non cum instrumento, distinguitur; non est virtus per modum formæ, concedo; per modum motionis et elevationis actualis, nego. Item, est actio identificata cum effectum, distingo; identificata cum effectum nude et simpliciter, nego; mediante subordinatione et elevatione instrumenti, concedo, quia sicut ille effectus non habet procedere a Deo simpliciter et immediate, sed mediante instrumento, ita non habet identificari cum effectum immediate et simpliciter, sed mediante elevatione instrumenti. Et ita in quantum elevativa, illa actio habet identificari cum instrumento, non simpliciter, sed per modum motionis et tendentis ulterius ad effectum. Et non est inconveniens, quod eadem actio identificetur cum duobus distinctis subjec-

tis ratione diversorum effectuum, quando unus ordinatur ad alium, et non simpliciter identificatur cum utroque, sed cum uno per modum motionis et transeuntis, et cum alio simpliciter et permanentemente per modum effectus. Et ita licet elevatio sit in instrumento, et effectus extra instrumentum, actio tamen elevans ac productionem effectus ex illo, eadem est, et in uno identificatur per modum motionis et transeuntis, et in alio per modum effectus.

QUID PONAT MOTIO INSTRUMENTALIS IN INSTRUMENTO.

CDX. Secundo objicitur: Illa motio qua elevatur instrumentum immutat realiter et intrinsece instrumentum: ergo aliquid habet producere in instrumento, quod ante non erat; ergo motio illa, seu elevatio activa aliquem terminum habet in instrumento tamquam effectum, in quo constituatur in actu primo instrumentum: ergo non constituitur in actu primo per motionem, sed per terminum motionis, et postea indiget alio concursu, ut a tali termino prodeat actio producens effectum; et sic motio formaliter loquendo non erit virtus instrumenti, sed connaturaliter, quia virtus instrumenti est quid productum per talem motionem.

CDXI. Confirmatur, quia instrumentum debet constitui in actu primo per virtutem activam, ex qua videlicet procedat actio productiva effectus; sicut in sacerdote ponitur character ad consecrandum, sed per motionem non habet virtutem activam: ergo motio distinguitur a virtute instrumenti. Minor patet, quia motio est de genere passivorum, sicut motus est in mobili; per illam



enim passive movetur, et elevatur instrumentum: ergo.

CDXII. Confirmatur secundo, nam causis quæ elevantur ad actus supernaturales, præter motionem Dei datur virtus seu qualitas suscepta in ipsis causis, per quam constituentur in actu primo: ergo similiter in instrumentis. Patet consequentia, quia secundum se minorem proportionem habent cum actionibus supernaturalibus; ergo ad faciendam istam proportionem virtus activa dari debet in instrumentis, sicut in aliis causis.

CDXIII. Respondetur aliquos existimasse quod virtus instrumenti non esset ipsa motio, qua moventur a principali agente, sed quod esset terminus aliquis per talem motionem habitus, aut productus in ipso instrumento; essetque talis terminus, seu virtus principium effectus instrumentalis, et id quo constitueretur instrumentum in actu primo instrumentali; et hanc refert opinionem et impugnat Cajetanus in hac quæstione, art. iv, et Navarrete tom. II, controversia xv, §. vi.

CDXIV. In qua opinione duo consequenter dicenda videntur. Primum, quod illa motio, ut tenet se ex parte instrumenti, non est effectio aut productio in genere causæ effectivæ respiciens illum terminum, sed solum formalis tendentia ad illam per modum motionis, non actionis, licet ut tenet se ex parte Dei, sit actio. Hoc patet, quia motus ut se tenet ex parte mobilis, non est productio, sed ratio formalis tendentiæ ad terminum, non ratio effectiva. Est enim motus actus entis in potentia, seu ipse terminus, ut ab imperfecto exiens ad perfectum; licet motus consideratus ex parte agentis dicatur actio. Et sic calor productus in aqua per motum, non est effectus motus, sed producitur ab actione medio motu primo, me-

dante tendentia de imperfecto ad perfectum. Si ergo elevatio illa ex parte passi est motio tendens ad terminum, non se habet ut productio effectiva, sed ut tendentia formalis; actio enim mediante tali tendentia producit in instrumento illum terminum, quatenus ille terminus per motum in subjecto producitur; et sic motus non identificatur cum termino, ut actio aut passio, sed ut quid imperfectum tendens ad perfectionem, seu ut res in fieri cum re in facto esse.

CDXV. Secundum quod debet dici est, quod ista motio secundum rationem motionis, si habet terminum distinctum a se in instrumento, completur in illo ut in termino suo; omnis enim motus, cum sit in fieri, et imperfecta tendentia ad perfectum terminum, in ipso termino sistit et completur; et ita illa motio completur in tali termino. Respectu enim effectus postea exituri ab instrumento ista motio non se habebit ut motus, si quidem ille effectus non producitur per motum, neque est terminus illius, ut motio est; unde ut exeat actio ab instrumento per illam virtutem, seu terminum a motione acquisitum, indigebit novo concursu (simultaneo saltem) quia cum motio illa habuerit terminum suum in instrumento, quæ non est actus purus in agendo, sed potentialitatem dicens, oportet quod reducatur in actum ab aliquo concursu divino; et sic præter productionem talis termini, in qua sistit illa motio ut in termino, incipiat novus concursus termino illi superveniens, et cum eo concurrens: sicut in causa principali, quia oportet causam ipsam terminari ultima actualitate ad agendum, indiget concursu prævio talem terminum ponente, et deinde alio simultaneo comprobante effectum.

CDXVI. Hæc tamen sententia reji-

cienda est, nam licet motio physica, seu omnis motus habeat terminum in quo compleatur, motio tamen intentionalis non habet terminum in ipso mobili, cujus est motio, sed extra tale mobile. Motio enim intentionalis non respicit terminum, sicut tendentia, et sicut terminus in fieri et in esse imperfecto, terminum in facto esse et in esse perfecto, sed sicut virtus causæ principalis in esse diminuto et transeunte, respicit effectum. Unde sicut species imperfecta magis respicit objectum, cujus est semen intentionale, quam conceptum seu cognitionem, cujus principium est simul cum intellectu: sic motio intentionalis communicata instrumento, magis respicit virtutem causæ principalis, cujus gerit vices, et per quam habet efficere unum in ratione principii actionis cum virtute causæ principalis, quam respiciat aliquem terminum per modum tendentiæ et imperfecti.

CDXVII. Unde sicut virtus causæ principalis non respicit pro termino aliquid in instrumento ponendum, sed effectum extra instrumentum producendum, in quo distinguitur a concursu causæ superioris cum causa inferiori principali, in qua causa superior non solum respicit effectum producendum, sed causam inferiorem actuandam, et ita distincto concursu utrumque perficit; principalis vero causa non respicit instrumentum perficiendum, sed respicit primo effectum producendum, cum subordinatione tamen instrumenti, et ita uno concursu habet id facere; sic motio intentionalis, quæ est vicaria seu vices gerens illius virtutis principalis, non habet pro termino aliquid in instrumento, sed aliquid extra instrumentum; et ideo S. Thomas virtutem instrumentalem, et virtutem causæ principalis non distinguit,

nisi tamquam formam propriam, seu virtutem propriæ formæ, et virtutem per modum motionis seu motus, ut in hac quæstione et articulo, et etiam articulo quarto, et ubicumque tractat de instrumentis; et ideo dicit, non assimilari effectum virtuti instrumenti, sed virtuti causæ principalis; sicut etiam conceptus non assimilatur speciei impressæ, sed objecto, cujus est intentionalis virtus ipsa species.

CDXVIII. Constat autem motum, qui est actus imperfecti, neque esse virtutem per modum motus, sed rem ipsam producendam in fieri; neque de eo dubitari posset, an assimilaretur illi effectus, cum sit ipsemet effectus in fieri; S. Thomas autem ponit virtutem instrumenti ut principium cui non assimilatur effectus. Dicitur autem per modum motus dari illam virtutem, quia non permanentem, sed transeuntem datur; non tamen quia transeunter datur tamquam actus imperfecti, aut actus entis in potentia tendens ad terminum; sed ut virtus ipsa principalis in esse diminuto et transeunte, quia solum servit ut unitur principali agenti, et fiat unum cum illo in ratione principii efficientis.

CDXIX. Quare ad argumentum dicitur, quod illa motio immutat realiter instrumentum, non causaliter, seu producendo aliquem terminum; sed formaliter, tamquam virtus principalis agentis intentionaliter, et per modum motus participata; et ita illa motio non est causaliter virtus instrumentalis, sed formaliter; non formaliter permanentem, sed formaliter intentionaliter. Unde neque terminum habet a se productum, neque alio concursu indiget reducendo de potentia ad actum ipsum terminum, sed ab eodem concursu principalis causæ, intendente producere effectum pro-



cedit, et communicatio intentionalis propriæ virtutis, non ut terminus, sed ut id quo producat terminus, quia non simpliciter procedit a virtute principalis agentis, prout in principali agente est, sed prout intentionaliter in instrumento; cui ideo communicat virtutem intentionaliter, et effectum producit eodem concursu, ut supra dictum est.

CDXX. Ad primam confirmationem respondetur, constitui per virtutem activam in actu primo, non quæ sit virtus activa per modum formæ, sed per modum intentionalis motionis; et hæc constituitur per motionem, non passive se habentem et respicientem terminum, cujus ipsa sit motus et tendentia, sed habentem in se virtutem principalis agentis tamquam vices ejus gerens, et intentionaliter habens ut instrumentaliter effectum producat; character autem in sacerdote non est virtus activa, qua habitualiter constituatur instrumentum in actu primo ad productionem effectus supernaturalis, sed media elevatione subjecti habentis characterem constituitur in actu primo. Character autem dicitur virtus activa reductive, et ad modum potentiæ datur permanenter, quia facit ministrum capacem ad recipiendum, vel agendum aliquid tamquam instrumentum animatum, et quasi debitum sibi facit concursum elevativum; non tamen ipse character, tamquam forma dans activam virtutem, reducitur in actum per concursum datum sibi, sicut alii causæ principali, sed per concursum elevantem ad agendum effectum supernaturalem.

CDXXI. Ad secundam confirmationem respondetur, quod illæ causæ, quæ elevantur ut sint causæ principales supernaturalium actionum, non fiunt agentes per motum, sed

per formam. Unde in eis operari, non dicit causam præcisam operationis, sed concursum, ut acute dicit Cajetanus 1 p. quæst. xix, art. viii, et ita indigent recepta qualitate per modum formæ, et principii; instrumenta autem non indigent qualitate per modum formæ, sed indigent motione intentionaliter continente virtutem principalis agentis; qua posita, non oportet apponere ulteriorem terminum productum per hanc motionem intra instrumentum, cum illud non habeat motio intentionalis in suo mobili.

CDXXII. Sed adhuc instabis: Nam ille terminus dictæ motionis virtualiter erit spiritualis, et intentionaliter continebit ipsam virtutem principalis agentis, sicut motio: ergo non est causa cur non ponatur. Antecedens patet, quia terminus est idem entitative cum motione: ergo sicut motio intentionaliter continet virtutem principalis agentis, ita et terminus. Et quod significetur per modum termini, nihil obstat, nam terminus perfectior est quam motio: ergo si motio est virtualiter spiritualis, multo magis et terminus; et confirmatur, quia per motionem ponitur instrumentum in actu secundo: ergo ab eadem motione nequit active constitui in actu primo, nam non potest esse idem principium passivum, et activum respectu ejusdem.

CDXXIII. Respondetur distinguendo antecedens. Ille terminus erit virtualiter et intentionaliter spiritualis, ea formalitate quæ requiritur ad instrumenta, nego antecedens; alia formalitate, transeat. Ad rationem enim instrumenti non requiritur, quod communicetur virtus principalis agentis per modum termini aut formæ, quia terminus aut forma principaliter respiciunt effectum, ut principium efficiendi, quam

causam principalem, a qua derivatur, et cujus communicationem facit; unde et auxilium præveniens, quod Deus communicat causæ principali, quia communicatur illi ut principio efficiendi per modum formæ, consequenter communicatur illi ut terminus, et non ut motio, quia licet subordinet illam causam superiori agenti, constituendo tamen illam et perficiendo in ratione causæ principalis, subordinatæ tamen, unde præcipue magisque habet ordinare illam ad effectum, quam subordinare superiori; instrumentum autem e converso, magis habet subordinari superiori, quam ordinari ad effectum, vel perfici in se, quia ut instrumentum est, non habet aliud quam quod a principali derivatur. Unde multo melius id fit per motionem, quam per terminum, ut distinguitur a motione, quia licet terminus perfectior entitative intelligatur, quam motio, non tamen ea formalitate quæ requiritur ad rationem instrumenti, sed ea quæ requiritur ad rationem causæ principalis.

CDXXIV. Præterquam quod motio intentionalis non est via et tendentia ad terminum intra ipsum mobile, sed extra, cum non sit imperfectum quid dicens ordinem ad perfectum, sed sit communicatio virtutis superioris intentionaliter et transeunter. Unde sicut species, quæ intentionaliter continet objectum, principaliter respicit objectum, cujus gerit vices, quam potentiam vel conceptum; sic illa motio præcipue respicit virtutem, cujus est intentionalis vices gerens, quam instrumentum vel terminum; unde aptior est ad perficiendum instrumentum quam terminum.

CDXXV. Ad confirmationem dicitur, quod illa motio ut intentionaliter descendit a causa principali, et recipitur in instrumento, passive

se habet; ut autem importat virtutem, quæ non sistat in instrumento, sed tendat ad effectum, active se habet; et ideo respectu diversorum habet formalitatem activi et passivi, quod non est inconueniens; sicut in potentiis et actibus immanentibus et speciebus exemplum poni potest; et ita instrumentum si consideretur seorsum a causa principali, oportet quod mediante aliquo passivo perficiatur et trahatur ad causam principalem; ut autem consideratur instrumentum tractum et factum unum cum causa principali, oportet quod se habeat active ad effectum; sic enim videmus, quod ea quæ obedientialiter elevantur, prius natura debent pati, quam activitatem agendi habeant; et in hoc distinguitur distincta ratio potentiæ obedientialis, quod licet omnis potentia obedientialis respectu sui creatoris passive solum se habeat, et negative (scilicet ut non repugnantia) tamen aliquæ per hanc non repugnantiam, et passivam rationem ordinantur ad recipiendam activitatem, ut potentiæ vitales, aliæ non ordinantur ad recipiendam activitatem, sed præcise ad patiendum; sicut intellectus noster recipiendo passive species ordinatur ut effective et active producat conceptus.

CDXXVI. Tertio arguitur ex Suarez tom. i, iii p. disp. xxxv, sect. v: Ille motus seu motio, aut est aliquid impressum humanitati Christi aut sacramentis, vel non; si non est aliquid: ergo humanitas vel sacramentum non agunt per illum motum, sed solum causa principalis, si quidem non est actio, neque aliquid illius: si autem est aliquid impressum humanitati Christi, vel esset alteratio, et tunc oporteret producere qualitatem, quod est falsum; vel motus localis, et tunc deberet producere ubi, cum tamen si-